# DE
# CHRYSE
## INSULA ET DEA
## IN PHILOCTETE SOPHOCLIS.

SCRIPSIT

**CAROLUS BERTHOLDUS HEINRICH**

AA. LL. MAG. PHIL. DR.

BONNAE AD RHENUM
APUD ADOLPHUM MARCUM.
MDCCCXXXIX.

PHILOLOGIS ILLUSTRISSIMIS

FRID. TH. WELCKERO

LUDOV. SCHOPENO

CAR. WILH. LUCAE

PRAECEPTORIBUS SUIS DILECTISSIMIS

HOC OPUSCULUM

PIETATIS UT SIT PIGNUS

D. D.

SCRIPTOR.

## CAROLUS BERTHOLDUS HEINRICHIUS

### AEQUO ET ERUDITO LECTORI

### S.

Non inutilem, erudite Lector, nec supervacaneam suscepisse mihi operam videor, quum, viro summo, Carolo Friderico Heinrichio, patre beatae memoriae meo, suasore quondam et auctore, de situ Chryses insulae in Philoctetis fabula deque numinis, quod ibi altare dedicatum habebat, cultu post varias doctissimorum hominum de eadem re quaestiones denuo inquirerem et, quae inde effecerim, qualicunque studio meo concinnata proferrem in medium. Nam licet cum alii eruditi, tum imprimis Phil. Buttmannus ad Sophoclis Philoctetem p. 57. sqq., Ed. Wunderus ad eandem tragoediam p. 6. sqq. ac novissime hoc ipso anno G. Hermannus in Praefatione secundae Philoctetis editionis hac de re multum disputarint, idque egregie, tantum tamen abest, ut rem illi plane absolve-

rint, ut campum, in quo alii vires exerceant suas, satis amplum reliquisse videantur. Hac vero mea cura num illorum semita facta sit via, doctiores videant, quos quidem vehementer etiam atque etiam rogo, dissertatiunculam hanc ita legant, ut et ab iuvene istam et occupato cummaxime severioribus artis salutiferae studiis horis nonnisi subsecivis elaboratam meminerint.

Scripsi Bonnae ad Rhenum extremo Novembri MDCCCXXXIX.

Philoctetem in expeditione Graecorum Troica, quum in insula quadam aram numinis Chryses quaereret, a serpente ictum indeque Lemnum expositum fuisse, in eo omnes paene scriptores, qui illius fabulae faciunt mentionem, consentiunt; de loco, in quo Philoctetes fuerit vulneratus, et de numine, cuius aram tunc quidem investigarit, non consentiunt.

Ut primum de loco exponam, quo Philoctetes a serpente percussus esse dicitur, Chryses nomen illi fuisse a plerisque auctoribus traditur, a Pausania VIII, 33, 2., ab Eustathio ad Il. β, 723., Tzetze ad Lycophr. 911. et Scholiastis ad Sophocl. Phil. 194. Multae quidem illius nominis et insulae et urbes fuerunt, id quod copiose docent Stephanus Byzantius s. h. v. et Eustathius ad Il. α, 38. Addas de Chryse prope Cretam sita Pompon. Melam II, 7. §. 13., Plinium Hist. Nat. IV, 12. s. 20. Sed in hac fabula insulam Lemno vicinam intelligi referunt Scholiastae Sophoclis l. c. Χρύση νῆσος πρὸ τῆς Λήμνου, ἔνθα διέτριβε Χρύση τις νύμφη, ἣ ἐρασθεῖσα τοῦ Φιλοκτήτου καὶ μὴ πείσασα κατηράσατο αὐτῷ· διὸ καὶ ὠμόφρονα αὐτὴν ἐκάλεσεν (scil. Sophocles illo loco). Ἄλλως. Χρύ-

σης Ἀθηνᾶς ἄγαλμα οὕτω καλεῖται. ἐστὶ δὲ καὶ πόλις Χρύση πλησίον Λήμνου, ἔνθα ὑπὸ τοῦ ὄφεως ἐδήχθη τὸν βωμὸν ζητῶν, ἐν ᾧ ἔθυσεν Ἡρακλῆς, ἡνίκα κατὰ Τροίας ἐστράτευσεν. Quod in altero scholio Chryse vocatur πόλις πλησίον Λήμνου, recte monet Buttmannus p. 59. vocabulum πόλις pro *insula* accipiendum esse [1]). Idem de situ Chryses insulae ac multo etiam graviora Pausanias narrat VIII, 33, 2. Λήμνου πλοῦν ἀπεῖχεν οὐ πολὺν Χρύση νῆσος, ἐν ᾗ καὶ τῷ Φιλοκτήτῃ γενέσθαι συμφορὰν ἐκ τοῦ ὕδρου φασί. ταύτην κατέλαβεν ὁ κλύδων πᾶσαν, καὶ κατέδυ τε ἡ Χρύση καὶ ἠφάνισται κατὰ τοῦ βυθοῦ. νῆσον δὲ ἄλλην, καλουμένην Ἱεράν, ἀνέδωκεν, ἣ τόνδε οὐκ ἦν χρόνον [2]). Viros doctos, qui de eadem hac re scripserunt, fugisse video, quae de illa Chryse insula Choiseul-Goufferus disseruit in splendidissimo libro de geographia Graeciae, qui inscribitur: *Voyage pittoresque de la Grèce*, Tom. II. p. 129. sqq. Qui quidem indagator doctissimus quum insulas Graecas circumiens Lemnum quoque venisset, frustra quaesivit ibi Mosychli vestigia, montis ignivomi, quum sciret saepius talem a veteribus memorari. Percontatus igitur vada, quae orientem versus exstabant, omnem hunc tractum Lemni insulae partem esse invenit cum tota insula Chryse demersam, ab Lemno parvo freto dissita. Quae quum ita sint, sole est

clarius Mosychlum in illa fluctibus hausta insulae regione fuisse; qui quum exustus concideret, et Lemni partem et Chrysen insulam adiacentem una in profundum delapsam esse. Atque id accidit, ut Pausanias l. c. tradit, eodem tempore, quo nova insula, Hiera [3]), ex imis maris emersit, i. e. ex computatione Choiseul-Gouffieri [4]), anno 197. a. Chr. n.

Buttmannus in dissertatione de monte Mosychlo (in Musei philologici Berolinensis Parte Germanica Vol. I. p. 295. sqq.) testimonio Scholiastae Nicandri ad eius Ther. v. 472. probat Antimachum et Eratosthenem fecisse montis ignivomi illius mentionem, idemque alios locos ex Sophoclis Philoctete addit; Galenum [5]) autem narrare Lemni se vestigia modo crateris exstincti reperisse. Quum igitur Galenus secundo p. Chr. seculo, Sophocles et Antimachus ante Alexandrum regnantem floruerint, Mosychlum montem Buttmannus pro certo ponit Alexandri temporibus collapsum esse, et Eratosthenem, poetam videlicet litteratissimum, φλόγα Μοσυχλαίην nonnisi ex imitatione Antimachi dixisse. Similiter Ukertus in Geographia Graecorum et Romanorum Vol. II. P. I. p. 198. paullo post Alexandri obitum Mosychlum censet exustum esse, quo tempore simul Chrysen interisse. Nos vero, qui auctore Choiseul-Gouffiero de tempore, quo Mosychlus collapsus

sit, certius tenemus, Eratosthenem aeque ac Sophoclem et Antimachum de flamma Mosychlaea tanquam de re aequalibus suis notissima locutum arbitremur. At quaerat fortasse aliquis: Quum Galenus aperte vestigia exusti crateris reperisse se affirmet, Choiseulus autem Mosychlum, quum primum is sit exustus, concidisse et subsidisse, nonne haec secum pugnant? Minime vero. Quum enim Scholiastes Nicandri l. c. *montes* Lemni dicat Mosychlum appellari, sic existimo, montem illum, cuius craterem exustum Galenus aliique a Buttmanno producti citeriore tempore viderant, olim quidem ignivomum fuisse, multa tamen iam a. Chr. secula ignem desisse eiectare, quum unus ex montibus Lemniis Sophoclis etiam, Antimachi et Eratosthenis temporibus non desierit, idem ille, qui anno 197. a. Chr. conciderit. Atque ita, ut opinor, haec plana sunt.

Ceterum insulas Lemno adiacentes, quarum una est Chryse, aliquando perituras esse, tribus ante Chryses interitum seculis praedixerat Onomacritus, celeberrimus vates, physicis, ut videtur, rationibus adductus, quum Lemni naturam penitus cognitam habuerit. De quo Herodotus VII, 6. refert his verbis: Ἐξηλάσθη ὑπὸ Ἱππάρχου τοῦ Πεισιστρατίδεω ὁ Ὀνομάκριτος ἐξ Ἀθηνέων, ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλοὺς ὑπὸ Λάσου τοῦ Ἑρμιονέος ἐμποιέων εἰς τὰ Μου-

σαίου χρησμόν, ὡς αἱ ἐπὶ Λήμνου ἐπικείμεναι νῆσοι ἀφανιζοίατο κατὰ τῆς θαλάσσης. Chryse etenim una fuit τῶν νήσων Νεῶν, i. e. insularum in terrae motibus iuxta Lemnum enatarum mari 6). Quarum originem Onomacritus quum novisset, optime conclusit, ut ortae insulae illae terrae concussu sint, ita eas in tanta montis ignivomi Lemnii vicinitate aliquando in mare dilapsum iri.

Iam autem de loco Lemniarum Sophoclis servato per Stephanum Byzantium disputabo, a multis explicari coepto, a nemine satis. Apud Stephanum igitur s. v. Χρύση haec sunt: Χρύση, βαρυτόνως, ἡ πόλις τοῦ Ἀπόλλωνος ἐγγὺς Λήμνου. Σοφοκλῆς Λημνίαις·

Ὦ Λῆμνε Χρύσης τ' ἀγχιτέρμονες πάγοι.

καὶ ἐν Αἰχμαλωτίσι·

Ταύτην ἐγὼ Κίλλαν τε καὶ Χρύσην.

Εἰσὶ καὶ ἄλλαι Χρῦσαι ὁμώνυμοι πόλεις, καὶ τόποι πολλοὶ περὶ Σκῦρον, καὶ τῆς Λεσβίας τόπος, καὶ περὶ Ἡφαιστίαν τῆς Λήμνου ἀκρωτήριον πρὸς Τένεδον βλέπον. Quum vulgo ederetur Πανηφαιστία, περὶ Ἡφαιστίαν verissime emendavit Salmasius (quem conf. etiam ad Aram secundam Dosiadae p. 147.), probante Leone Allatio in libro de Patria Homeri c. VII. p. 128. Provocat Salmasius ad eum, qui hac in re Stephanum compilasse videtur, Eustathium, ad Iliad. α, 38. promontorium Lemnium prope

urbem Hephaestiam nomine Χρύσην memorantem. Quod quidem confundi a Stephano cum Chryse Troica in illo Sophoclis versu ex Aechmalotidibus Salmasius p. 146. contendit. Et recte is quidem vidit diversas Chrysas a Stephano commisceri; neque id mirum in tanta videlicet et urbium et insularum multitudine cognominum. Inde similiter lapsus est Dictys Cretensis, qui in libro de Bello Troiano II, 14. Philocteten haud procul ab ara Apollinis Sminthii, cuius templum ad Troicam Chrysen fuit, a serpente fuisse percussum scribit; eodemque in errore fuit, quem Buttmannus p. 60. post Politum ad Eustath. Il. β. p. 708. notat, Scholiastes Sophoclis ad Philoct. 268. Sed bis erravit Salmasius, primum quod versu isto Lemniarum Sophoclis promontorium Lemnium intelligi censet, deinde quia eodem in promontorio Philocteten vulneratum fuisse ait ac negat insulam Chrysen fuisse Lemno vicinam. Salmasii alterum erratum iam pridem animadverterunt Leo Allatius l. c. p. 129., Salvagnius commentario in Ibin Ovidii. v. 255. (inserto eius Miscellis Lugduni a. 1661. 8. editis) et Valckenaerius Diatr. Eurip. c. XI. p. 127.: at tacent de eo, quod Salmasius dicit promontorium Chrysen designari in isto fragmento: Ὦ Λῆμνε Χρύσης τ' ἀγχιτέρμονες πάγοι. Non attenderat Salmasius epitheton ἀγχιτέρμονες, quod

plane ostendit colles istos non in ipsa Lemno, sed prope fuisse; ut certum videatur colles Chrysae Lemno vicinae in Sophoclis versu intelligi oportere. Quid, quod fortasse ne fuit quidem unquam promontorium Lemnium nomine Χρύση? Nam mihi certe aut a Stephano promontorium illud inventum videtur τοὺς ἀγχιτέρμονας πάγους apud Sophoclem parum recte interpretante, aut ex sollemni geographorum peccato insula cum promontorio confusa [7]). Cf. Wunder. p. 14. Continebat autem fabula illa Tragici adventum Argonautarum ad Lemnum eorumque cum feminis Lemniis consuetudinem [8]). Verisimile est igitur in Sophoclis fabula aut feminam Lemniam oratione incipiente a versu Ὦ Λῆμνε compellasse patriam suam, aut etiam, quae Welckeri, praeceptoris mei insigniter colendi et diligendi, bellissima coniectura est, Mus. Rhenan. Vol. supplem. II. P. I. p. 328., Iasonem sub finem fabulae cum Hypsipyle prodeuntem ista dixisse.

Iam vero erant, qui Philoctetem non in Chryse, sed in Νέᾳ insula sive, ut alii loquebantur, in Νέαις serpentis morsu ulceratum perhiberent. Dosiadas fabulam Philoctetae respiciens in priore poematio aram facit loquentem hoc modo:

καθαρὸς γάρ ἐγὼ
ἰὸν ἱέντων τεράων, οἷα κέκευθ᾽ ἐκεῖνος

ἀμφὶ Νέαις Θρηϊκίαις, ὃν σχεδόθεν Μυρίνης
σοί, Τριπάτωρ, πορφυρέου φὼρ ἀνέθηκε κριοῦ.

Ἀμφὶ Νέαις minus proprie dictum, quum sit: in una Nearum 9). Μυρίνη urbs Lemni est, Τριπάτωρ Minerva, φὼρ κριοῦ Iason. Stephanus: Νέαι νῆσος πλησίον Λήμνου, ἐν ᾗ Φιλοκτήτης κατά τινας ἐδήχθη ὑπὸ ὕδρου. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τοῦ προσνήξασθαι τὸν Ἡρακλέα. Hesychius: Νέα. νεώματα. καὶ χωρίον Λήμνου, ὅπου δοκεῖ Φιλοκτήτης δηχθῆναι. Inscite Hesychius, non advertente id Schneidewino ad Simonid. Reliqq. p. 102., Νέαν, insulam prope Lemnum, confudit cum Νέαιρα, regione Lemni 10). Hesychium, ut Suidam, cuius verba infra annot. 2. ponentur, ad verbum exscripsit Favorinus in vv. Νέα et Νέαι. Illam denique Neam Buttmanno p. 59. videtur intellexisse Appianus, qui in Mithridaticis c. 77. haec scribit: Περὶ Λῆμνον ἐν ἐρήμῃ νήσῳ —, ἔνθα δείκνυται βωμὸς Φιλοκτήτου καὶ χάλκεος ὄφις καὶ τόξα καὶ θώραξ ταινίαις περίδετος, μνῆμα τῆς ἐκείνου πάθης. Quo loco cur Hermannus in Praefatione novissimae Philoctetis editionis p. 24. non Neam potius Buttmanno adstipulatus, sed Chrysen, insulam Pausania auctore tunc iam dudum mari absorptam, intelligi velit, non assequor. Variant autem scriptores in nomine istius insulae: Stephanus et Suidas *Neas* vocant; *Neam* praeter Hesychium Plinius H. N.

II, 87. s. 89. p. 186. et IV, 12. s. 23. p. 282. ed. Bip., qui eam priore loco ad insulas e mari enatas refert. *Novam* appellabant post veteres recens e mari progressam, valde usitata in talibus appellandi ratione, quemadmodum *Neapolis* dicta est et nostra memoria *Monte nuovo*, mons anno 1538. ad Neapolim ex terrae hiatu exortus [11]), aliaque huiusmodi. Nam quod a νέω dictam aiebant, quia Hercules ad eam annataverit, fabella est, orta ex prava nominis deductione ac studio atque libidine Graecorum cuivis rei affingendi fabulas [12]). Sed cogitanti mihi de duplici eiusdem nominis numero minime dubium est, quum aliquando plures simul minutiores insulae ex profundo emersissent eaeque proprie *αἱ* Νέαι recte dicerentur, ab aliis tamen *τὴν* Νέαν fuisse dictam, quo nomine una tantum ex illis pluribus ut ceteris maior et praestantior significaretur. Quam quidem rem multum confirmat Antigonus Carystius c. 9. sic loquens: Ἐν *δὲ ταῖς τῶν* Λημνίων *νήσοις ταῖς καλουμέναις* Νέαις *πέρδικες οὐ γίνονται* etc.; ac Dosiadae verba *ἀμφὶ* Νέαις Θρηϊκίαις, i. e. in una Nearum Thraciarum. Nec magis dubitari posse videtur Chryseu unam ex insulis istis haberi oportere; quam quidem sententiam fulciunt cum ea, quae supra p. 8. dicta sunt, tum vero, quod iam facile intelliges, qua ratione de insula, in qua Philoctetes

vulneratus sit, potuerit ambigi: erant enim et Chryse et Nea, i. e. ceteris maior insula, in numero insularum τῶν καλουμενῶν Νεῶν. Neam insulam Lemno vicinam fuisse scriptores, quos memoravi, omnes testantur: quare videndum, quae sit earum, quae Lemno adiacent. Barbiaeus du Bocage, consentiente Choiseul-Gouffiero Tom. II. p. 132., Neam ducit eam esse insulam, quae hodie *Agio-Strati* appellatur. Conf. Cellar. Geogr. ant. II, 14, 166. Quam quidem opinionem neutiquam probabilem puto. Nam Agio-Strati a Lemno inde meridiem versus iacet, neque, quod de Nea tradit Plinius II. 87. s. 89., *inter Lemnum et Hellespontum*[13]). Quo ex loco Plinii colligendum est potius circa Imbrum vel Tenedum, quae quidem insulae Lemnum inter et Hellespontum iacent, Neam fuisse positam; eaque coniectura egregie firmatur iis, quae Eustathius habet ad Iliad. β, 723. Δηχθῆναι δὲ τὸν Φιλοκτήτην ὁ Πορφύριος λέγει κατά τινας περὶ Τένεδον ἢ Ἴμβρον, ἐκεῖθεν δὲ ἐκτεθῆναι εἰς Λῆμνον. Conf. Villoisoni schol. in Boeotiae v. 228. p. 81. Rem conficit Dosiadas l. c. Neas *Thracias* vocans ac prope Myrinam sitas: Myrina autem Lemni urbs fuit, quae in septentrionali littore Thraciam Imbrumque spectabat. Quae quum ita sint, vehementer miror Plinium IV, 12. s. 23. Neam ex adverso sinus Thermaei collocantem, quamvis iam

antea II, 87. s. 89. eam inter Lemnum et Hellespontum iacere recte scripsisset. Ceterum Beckmannus ad Antigonum p. 18. Neam ab nonnullis pro ea haberi ait, quae hodie *Nio* vel *Nigro* dicatur; sed unde acceperit nescio, et modo verendum est, ne isti insulam, cui olim *Ios* nomen, nunc *Nio* est [14], nominis hodierni similitudine decepti cum *Nea* permutarint.

Et haec quidem de situ Neae. De qua eadem observatu est dignum, quod Minervae sacra fuit secundum Plinium IV, 12. s. 23.; quumque alii in Chryse insula item propinqua Lemno viperam morsu venenato Philocteten laesisse prodiderint ibidemque Minerva feratur culta, ut infra exponetur pluribus: vir summus, Fridericus Iacobsius, Animadvv. in Anthol. Gr. Vol. I. P. II. p. 217. Chrysen et Neam eandem esse insulam suspicatur; id quod secus est. Nam Chrysen diu a. Chr. n. subsidisse prius vidimus, at Neam Plinius aliique idonei auctores, qui quidem omnes post Christum fuere, sua etiam aetate exstitisse testantur. Verum ut Plinium IV, 12. s. 23. non sequi debemus quod attinet situm Neae, ita non persuadebit mihi Neam fuisse illi Minervae sacram. Quae enim, quaeso, causa esse poterat, cur Minervae placeret? Plinius non ignarus, ut opinor, fabulae illius, quae in Nea vult Philoctetem a serpente ictum esse, neque nesciens accidisse

id regi Minervae altaria quaerenti vel abstergenti, cultum Minervae per errorem a Chryse, suo tempore dudum submersa sibique ignota, in Neam transtulit, quo factum, ut Neam referret Minervae sacram esse.

Tertiae cuiusdam famae, qua Philoctetes neque in Chryse neque in Nea insula, sed ipsa in Lemno a serpente traditur morsus esse, auctores imprimis nominandi sunt Scholiastes Sophoclis ad Philoct. 267., licet is aliena admiscens: *Λέγεται, ὅτι βουλόμενος ἐν Λήμνῳ ἀναστῆσαι βωμὸν Ἡρακλεῖ παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ὑπὸ ὄφεως ἐπλήγη.* Vetus Homeri Scholiastes ad Il. β, 721. *Ἱστόρηται, ὅτι Φιλοκτήτης ἐν Λήμνῳ καθαίρων τὸν βωμὸν τῆς Χρυσῆς καλουμένης Ἀθηνᾶς ἐδήχθη ὑπὸ ὕδρου καὶ ἀνιάτῳ τραύματι περιπεσὼν κατελείφθη αὐτόθι ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων. ᾔδεισαν γὰρ τοὺς Ἡφαίστου ἱερεῖς θεραπεύειν τοὺς ὀφιοδήκτους.* Quocum conf. simile scholium Eustathii ad v. 724. Tzetzes autem ad Lycophr. 912. subdubitans, *Τὸν Φιλοκτήτην*, inquit, *τὸν δηχθέντα ἐν Χρύσῃ ἢ Λήμνῳ ὑπὸ ὄφεως ὕδρου.* E Latinis scriptoribus Hyginus fab. 102. in Lemno Philocteten a colubro pede percussum narrat, parum is sibi constans, quum postea eundem dicat expositum in Lemno esse.

Denique Proclus seu potius Proculus (nam sic scribi malebat pater meus, C. F. Heinrichius)

Chrestom. p. 475. ed. Gaisf. ex Cypriorum scriptore haec attulit: Ἔπειτα καταπλέουσιν εἰς Τένεδον. καὶ εὐωχουμένων αὐτῶν Φιλοκτήτης ὑφ' ὕδρου πληγεὶς διὰ τὴν δυσοσμίαν ἐν Λήμνῳ κατελείφθη. Eustathii ad Il. β, 723. et Villoisoni scholiorum in Boeotiae v. 228. p. 81. locos, de quibus iam supra dictum, perperam huc trahit Wunderus p. 14.

Comparanti nunc mihi illas quatuor diversas de loco fabulas, in quo Philoctetes vulneratus fuisse fertur, antiquissima, etiam Sophocli, ut perspicue Wunderus p. 12. ostendit, probata, visa est illa, quae Chrysen inducit. Quid enim putas proclivius fuisse, quam Neam, quae et ipsa Lemno vicina et insularum τῶν καλουμένων Νεῶν esset, eaque magnitudine praestantissima [15]), in tanta veterum geographiae inscientia cum Chryse, minore ex insulis istis [16]), permutari, praesertim quum illa fluctibus maris absorpta funditus evanuisset? Quumque ad Chryses altaria, deae ab insula, ut postea demonstrabitur, appellatae, Philoctetes anguino vulnere afflictus dicatur, num dubium sit illud etiam in Chryse insula accidisse? Quod autem tertiam attinet fabulam, qua Lemnus memoratur pro Chryse, persuasissimum mihi est eam esse omnium recentissimam habendam: adeo non mirandum est locum, in quo Philoctetes sauciatus fuerit, a Chryse ignobili insula ad Lemnum nobilio-

rem esse tralatum, ubi is multos per annos taetro ulcere cruciatus vitam sustentaverit misere. (Conf. Wunder. p. 13. sq.) Nam sic accipi malim, quam cum Hermanno Praefat. edit. secund. Philoctetis p. 21. ab iis, qui in ipsa Lemno ictum a serpente Philoctetam dixerunt, Chrysam Lemni locum creditam existimari. Neque plus tribuas postremae de Tenedo narrationi: poterat aliquis, quum ambiguis Homeri verbis Il. β, 723. sqq. inductus Lemni putaret Philoctetam vulneratum esse, illud in eo sacrificio factum dicere, de quo loquitur Agamemnon ϑ, 230. sqq., postea confuse Lemno supponere Tenedon. Id vero concedo, sacra illa, quae Lemni celebrata Homerus Il. ϑ, 230. sqq. scribit, videri eadem esse, in quibus Philoctetes serpentis ictu sauciatus traditur, quum Graeci sacra quidem Chrysae fecisse, epulas sacrificiales in Lemno, proxime sita et amoeniore insula, sumpsisse potuerint.

Sequitur altera pars disputationis, quae est de numine, cuius aram in Chryse insula Graeci, quum Troiam peterent, inquisivere. Omnes scriptores numini idem quod insulae nomen tribuebant, tamen in eo dissentientes, quod alii Chrysen nympham, alii numen Minervae intelligerent. Dissensum hunc docent tum Sophoclis Scholiastae ad Philoct. 194., quorum verba supra p. 1. adscripsi, tum Tze-

tzes ad Lycophr. 911. Ἔκειτο δὲ ἐν Λήμνῳ πρώην δηχθεὶς ὑπὸ ὄφεως ὕδρου τοῦ καὶ χελύδρου λεγομένου, ὅτε ἐκάθαιρεν ἐν Χρύσῃ τὸν κεχωσμένον βωμὸν τῆς Ἀθηνᾶς. οἱ δέ φασιν, ὅτι Χρύση νύμφη τις ἐρασθεῖσα ὤφθη αὐτοῦ ἐκεῖσε, καὶ μὴ πεισθέντος δὲ αὐτοῦ συγγενέσθαι αὐτῇ, τῇ ταύτης ὀργῇ ὑπὸ τοῦ λεγομένου ὕδρου ἐδήχθη. Illud de Chryse nympha Eustathius quoque attingit ad Il. β, 723. Quanquam pervulgatior ista est fama, quae Chrysen cum Minerva confundit. Conf. Summarium metricum Philocteti Sophocleae praeponi solitum [17]) v. 1., Schol. ad v. 194. et 1326., Schol. Homeri ad Il. β,721. et Eustath. ad v. 724., Tzetz. ad Lycophr. 911., Dosiadas l. c. Eodem igitur sensu etiam in secunda Dosiadae Ara v. 5. Χρύση absolute posita capienda, et, credo, iis praeterea locis, ubi ambiguum est sitne nympha an Minerva intelligenda: Philostrati Iun. Imagg. c. 17., Dionis Prusensis Oratt. LIX. Vol. II. p. 307. ed. Reisk. Verum hi loci ita sunt comparati, ut, Valckenaerio iudicante Diatr. p. 126., vel insula ibi intelligenda videri possit.

Iam vero Buttmannus, quo discrepantes illas opiniones inter se conciliaret, p. 58. primo statuit χρυσῆν proprie esse Minervae epitheton, idque non de loco petitum, sed honoris esse; quod epitheton seorsum quoque usurpatum quum vulgari pronuntiatione accentum retra-

xisset, factum, ut de peculiari etiam aliquo numine sive nympha intelligeretur: nihil enim in mythologia sollemnius esse, quam ut deorum dearumve cognomina transierint in heroas nymphasque, et ita fabulas a deorum illorum historia distinctas cum iisdem tamen fere coniunctas procrearint. Alios iam nomen illius numinis, Chrysen, a χρυσῷ duxisse inde, opinor, colligendum est, quod Eustathius ad Il. β, 724. et Scholiastes ad v. 721. Χρυσῆς, non Χρύσης, scripserunt. Sed quominus hoc Buttmanni commentum probemus, faciunt ea, quae verissime Hermannus obiecit ad Philoct. 194. et 1327. (addas eiusdem Praefat. edit. sec. p. 25. et Wunderum p. 11.); quibus simul refutatur, quod ex suo commento concludebat Buttmannus, locum, in quo coleretur numen, ab illo epitheto nominatum fuisse. Immo vero Chrysae insulae a χρυσῷ, reperto illic antiquitus, nomen inditum. Aurum apud Graecos iam antiquissimis temporibus creberrimum ac magnopere in usu fuit, auctore Millino in Mineralogia Homerica [18]) p. 169. Conf. Boeckh. de argentifodinis Lauriis in Actis histor. philolog. Academiae litter. Boruss. aa. 1814—1815. p. 91. sq. Idem Millinus p. 184. et Boeckhius Oeconom. publ. Athen. Vol. I. p. 7. monent aurariis et argentariis metallis praecipue Thraciae regiones divites fuisse, id quod etiam de insulis Thraciae propinquis

valet, de Thaso, μετάλλοις χρυσοῖς nobilissima 19), et de Chryse, quanquam metalla ibi, utpote in insula valde exigua, brevi videntur exhausta esse: nemo enim scriptorum veterum facit eorum mentionem. Nec sane mirandum auri venas illic inventas esse, quas inter geologos constat potissimum in solo subterraneo igni converso quondam et conformato, quod Vulcanium dicimus, reconditas exstare. Quod autem Χρύση a χρυσῷ accepit nomen, ab auri metallis plura loca hoc nomen habent. Conf. Steph. Byzant. v. Χρύση et Gesner. Thes. L. L. Sic Thasus Χρυσῆ νῆσος est olim appellata, quod Arrianus testatur apud Eustathium ad Dionys. Perieg. 517. Nec raro veteres duas insulas in Oceano Orientali fabulosas memorant, a metallis, quibus istas fertiles esse dicebant, nominatas, *Chrysen* et *Argyren*: de quibus doctissime disseruit post Salmasium Plin. Exercitatt. p. 700. ed. Traiect. vir illustrissimus, Alexander ab Humboldt, in Disquisitionibus criticis de geographia seculi XV. et XVI. nuper editis Vol. I. p. 315. sqq. vers. German. Similiter *Cassiterides* insulae dictae sunt a fertilitate plumbi albi, a κασσιτέρῳ; et *Chalcis* quoque, urbs Euboica, secundum aliquorum arbitrium διὰ τὸ χαλκουργεῖα πρῶτον παρ' αὐτοῖς ὀφθῆναι, Steph. Byzant. v. Χαλκίς. Conf. Wachsmuth. de Graecae antiquitatis notitia Vol. I.

P. I. p. 24. Chalybs ex contrario a natione Chalybum, eruendo cudendoque metallo isto occupatissima eoque clarissima iam Homeri aetate (Il. β, 857.), appellatus dicebatur. Conf. Voss. ad Virg. Georg. I, 58. Ceterum nomen huius Χρύσης aliorumque locorum apud Stephanum non perispomenon, sed paroxytonon esse, haud vereor, ne quenquam offendat, qui norit legem prosodiae Graecae a veteribus traditam et a recentioribus (ut a Reizio de Accentus inclinat. XIII. p. 116. sq.) saepius repetitam, ut nomina adiectiva aut appellativa ultimam acutam habentia, quando propria nomina hominum et locorum fiunt, retrahant tenorem. Qua quidem regula etiam talia exempla, quale hoc est, Χρύση, proprie Χρυσῆ, quin comprehendantur non dubium est, quandoquidem tenor flexus est acutus et gravis in eadem syllaba coniunctus. Tantum igitur abest, ut insula, in qua numen Chryse colebatur, nomen inde duxerit suum, ut recte Salmasius Addendis ad annotatt. in Aras Dosiadae p. 243., Olearius ad Philostr. Icon. XVII. p. 889., Valckenaerius Diatr. p. 128. et Sommerus in Zimmermanni Diurnis scholasticis a. 1832. P. II. nr. 135. col. 1086. Minervam τοπικῶς ab insula Χρύσην dictam iudicarint, quemadmodum saepe deos deasve a locis, in quibus colerentur, accepisse nomina scimus [20])

Praeter Buttmannum etiam alii viri eruditi

obscuram Chryses naturam, rationem atque cultum patefacere et illustrare sunt moliti, Uhdenus, Millingenus, G. Hermannus, et veterum rei mythicae clarissimi interpretes, Welckerus et Od. Müllerus. Atque Uhdenus quidem in Actis histor. philolog. Academiae litterar. Boruss. aa. 1804—1811. p. 66. sq. Chrysen non Minervam, sed nympham, insulae suae numen tutelare, esse existimat, longe dissentiente ea de re Millingeno. Nam Millingenus in libro de picturis vasculorum Graecorum (*Peintures de Vases Grecs*) p. 76. ex fabula Dardani et Chryses, Pallantis filiae, a Dionysio Halicarnasseo Antt. I, 68. tradita hanc facit, sed subtimide, coniecturam, Chrysae insulae nomen a Chryse, Dardani uxore, impositum eamque in insula illa Minervae cultum instituisse: ut Chryse atque Minerva e Millingeni sententia eadem sit dea. At vero Welckerus apud Boeckhium in Explicationibus Pindari Tom. II. p. 512. Chrysen affirmat nec nympham nec Minervam, verum Lemniam deam esse, cui olim humana sacrificia oblata sint: ex eoque, quod nomen Chryse saepius in fabulis reperiatur, et quia loca nonnulla nomine Chryse a cultu deae accepisse nomen videantur, probari censet non ignobile quondam nomen et cultum istius numinis fuisse in Graecia. Originem autem deae huius Lemniae Welckerus abs Thia, Solis et Lunae matre, de-

ducit. Post Welckerum Müllerus in Doribus P. I. p. 384. sqq. Chrysen et Iphigeniam sorores eademque natura fuisse ac Dianam Orthiam seu Tauricam scribit; quorum religionem numinum proprie quidem Arcadicam, ex Arcadia autem tralatam in Lemnum ibique immutatam esse. Idem rursum similia profert in Ersch. et Grub. Encyclopaedia universali Sect. III. P. X. in v. *Pallas-Athene* §. 33., nisi quod istic non tam Dianam, quam Minervam de Chryse facit. Horum Mülleri commentorum Hermannus Praefat. edit. sec. Philoct. p. 26. sqq. censuram peregit accuratissimam, ipse novissime hoc colligens, Chrysen quandam circa Lemnum divinis honoribus cultam quorundam quidem opinione Minervam visam esse; quam Chrysen, si alicui deae ita sit similis, ut confundi cum ea potuerit, eam deam esse Dianam. Enarratis iam variis hominum doctissimorum eiusdem rei explanationibus manifesto apparet, quam difficile sit rati certique aliquid de numine illo afferre, quale tandem fuerit, Minerva an alia qua dea, quibus ea virtutibus instructa et cuiusmodi eius cultus fuerit. Ac paene despero ea de re unquam, quod certum sit, indagatum iri: tam pauca veteres, quum ipsi iam Sophoclis aetate veram istius deae potestatem et dignitatem ignoraverint, de hoc numine memoriae prodidere. Sed tamen coniectando quae ipse invenisse mihi

videor, ea non sane sine verecundia quadam expromam, ut doctiores videant, an ratio huius numinis quodammodo illustrari inde possit.

Itaque Chrysen non fuisse Minervam ex ratione, qua Chryse in picturis vasculorum veterum expressa conspicitur, demonstrare, opinor, licet. Duae enim picturae sunt, si quid aliud, hac in quaestione respiciendae: quarum una Herculem refert Chrysae ferentem sacra, delineata ea et explicata primum ab Uhdeno in Actis histor. philolog. Academiae litterar. Boruss. aa. 1804—1811. p. 63. sqq., deinde a Millingeno in Picturis vasc. Graec. tab. LI.; altera autem exprimit Philoctetam, ut sauciatur ad aram Chryses a colubro: apud Millingenum tab. L. Ibi igitur dea, quanquam variis ornamentis decorata, tamen omnino caret sollemnibus Minervae insignibus, velut galea, cuspide, aegide. Monuit id recte primus Uhdenus l. c. p. 67., eodemque nixus argumento Hermannus Praefat. edit. sec. Philoct. p. 30. acriter impugnat eos, qui Minervam Chrysen defendunt. Fuit potius, nisi fallor, haec nostra Chryse vetus numen [21]) Sintium, populi Thracii [22]), qui antiquissimis temporibus praeter Thraciae partem Lemnum insulasque propinquas incolentes piraticam faciebant iidemque ferrarii fabri notissimi erant [23]). Qui quidem Sinties quum probe novissent Chrysae insulae auri venas, numen quoddam auri

praesidem et largitorem in metallis, quae illic instituebant, habebant consecratum. Hinc explices fortasse, quum in priscis ξοάνοις, auctore Welckero l. c., nihil inane sit et temere factum, quare in picturis Chryses imago brachia habeat extensa, ad modum Ephesiae Dianae: sunt enim brachia manusque extensa in antiquissima arte symbolum benignitatis et munificentiae naturae [24]). Hinc corona radians in capite deae [25]), hinc in tunica, qua induta est, ornamenta, stellulae et globuli; aurea scilicet, ut auri numini conveniens est. Atque egregie huc facit Welckeri opinio, firmata Mülleri assensu, oculorum ferocitate deam significari humanas hostias cupientem [26]). Nam quemadmodum rudis et inscitus populus ex natura sua deum fingere eique virtutes, affectus, vitia tribuere solet; ita Sinties, ferox et atrox piratarum natio, auri numen suum digna auro ἀντίδωρα, poscere homines pro victimis immolandos, arbitrari potuerunt. Sacra eiusmodi incolis maris Aegaei insularum usitata olim fuisse Iac. Bryantus in libello de sacrificiis humanis veterum [27]) docet; ac de ipsa quidem Lemno distincte hoc tradunt Stephanus Byzantius in v. Λῆμνος (Hecataeo auctore, ut Müllerus opinatur Orchom. p. 310.) et Sosicrates apud Fulgentium Expos. sermon. antiq. p. 770. ed. Staver. Minyae autem quum Iasone duce

adversus Colchos, sive, ut nonnullis placet [28]), Chersonesum Tauricam, proficiscentes Lemnum venissent [29]) atque e Lemno Chrysen, auri haud dubie fama, quod ibi reperiretur, commoti (quid enim magis quaerebant Argonautae in expeditione sua iungendi cum barbaris commercii causa suscepta, quam aurum? [30]): deam hanc barbaram Graeci illi, ex more suo alienigenas deos ad suos referendi, cum sua Minerva comparatam commiscuere, sive aurifodinas Minervae, utpote parentis omnium artium, etiam rei metallicae [31]), tutelae assignarunt [32]), sive aurum in illis fodinis solidum inventum sic perpurgatum ab alienis ac fabricatum a Minerva Ἐργάνη crediderunt. Quo factum, ut Chryse, quae peculiare fuerat numen, Minerva perhibita coleretur Ἀθηνᾶ Χρύση [33]), nec solum a Minyis, verum ab iis quoque, qui post Minyas Lemnum obsederunt, a Pelasgis Tyrrhenis et ab Atheniensibus [34]). Merito igitur Iason altare illi numini, septo ab agro finitimo separatum [35]), exstruxit; nam Minervae et consilio et auxilio expeditionem suam ipsamque navem paraverat. Mox Hercules, cuius item Minerva perpetua comes, ut eius opera in Heracleis omnia gesta dicuntur [36]), ad Iasonis exemplum sacra instaurat ibidem, et post Herculem Graeci Troiam petentes eandem aram ducente Philoctete quaerunt. Iam, quum destinatum fato

esset, ut Troia decimo demum anno, ex quo obsideri coepta, expugnaretur, idque nonnisi sagittis Herculis [37]), Philoctetes, penes quem erant istae sagittae, ne ante tempus Troiam veniret, ex voluntate deorum, dum aram indagat illam, morsu serpentis ulceratus; quo factum, ut a Graecis, ne tanquam invisus diis neve ex summo vulneris gravissimi cruciatu convicio opprobriisque eos incessens iram divinam etiam in comites verteret, in Lemno exponeretur [38]). Quam quidem calamitatem gravissimam Chryse dea Philocteti, viro innocentissimo, intulisse eo magis videbatur, quod propter homines olim mactatos ei vulgi rumore crudelis ac saeva est habita; atque inde a poeta cognominata ὠμόφρων [39]).

Huiusmodi mihi Philoctetis fabula fuisse antiquitus videtur, postea multis modis variata et immutata. Nonnulla id genus supra attigi inter ea, quae de insula Chryse scripsi: addas nunc Hyginum fab. 102., Servium ad Aen. III, 402., Meinek. ad Euphor. p. 88., Hermann. ad Philoct. 1., Fuchs. Quaestt. de variet. fabb. Troicarum p. 106. sq. 118. sq. 169., Urlichs. Dissertat. de Achaeo Eretriensi p. 34. sqq. ac praecipue Wunderum in docta commentatione de fabula Philoctetae, quam Sophoclis tragoediae praemisit. Earumque varietatum numero hanc quoque adscribo fabulam, quam Scholiasta So-

phoclis, Eustathius ac Tzetzes narrant de nympha, cuius crudelitatem, spreto eius amore, Philoctetes expertus sit. Quam quidem fabulam etiam Sophoclem secutum esse Hermannus ad Philoct. 194. et 1327. statuit, ut sic explicaret, quamobrem Chryse dicatur ὠμόφρων. Sed, quod pace summi viri dixerim, parum recte. Nam illam fabulam si Sophocles probavisset, haud dubie nymphae amantis aperte fecisset mentionem, neque eam obscuro aut ambiguo significasset epitheto: si quando norit, quod valde dubitandum, fabulam illam Tragicus, scholiastae videlicet commentum nescientis, cur Chryse ὠμόφρων appellaretur. Reiecerunt Hermanni istam opinionem etiam Wunderus p. 9. ac Sommerus l. c. col. 1087.; quod vero Wunderus p. 8. cum Buttmanno et Hermanno Eustathium ad Il. β, 723. secutus atque Müllerus in Encyclopaed. univers. Sect. III. P. X. in v. *Pallas-Athene* §. 33. Sophocli nympham habitam Chrysen arbitrantur, nollem id factum. Viri namque doctissimi illi Minervam existimabant non potuisse ὠμόφρονα dici; ego vero sat clare, ut spero, demonstravi, quemadmodum Sintium dea, quam Graeci Minervam nuncuparint, in Philoctetis infortunio ὠμόφρων potuerit videri. Quin Sophoclem Chrysen pro Minerva habuisse potius ex v. 1326. sqq. apparet, ubi Neoptolemus Philocteten alloquitur his verbis:

Σὺ γὰρ νοσεῖς τόδ' ἄλγος ἐκ θείας τύχης,
Χρύσης πελασθεὶς φύλακος, ὃς τὸν ἀκαλυφῆ
σηκὸν φυλάσσει κρύφιος οἰκουρῶν ὄφις.

Quem ad locum praeclare observavit Gedikius alludere Sophoclem ad ritum Atticum, quandoquidem Athenis in templo Minervae Poliadis draco, sacra Minervae bestia custosque ipsius arcis, ὁ οἰκουρὸς ὄφις, altus aut ali creditus sit; de quo conferendi praeter viros doctos a Gedikio laudatos Meibomius in Iusiur. Hippocr. p. 64., Müllerus in Encyclopaed. univers. Sect. III. P. X. in v. *Pallas-Athene* §. 7. et interpretes Herodoti VIII, 41. Denique Buttmannus p. 60. sq. quum ex v. 261. sqq. patere arbitraretur Chrysen insulam Sophocli fuisse a Lemno satis remotam, rectissime Wunderus p. 12. atque Hermannus Praefat. edit. sec. Philoct. p. 24. virum doctissimum longe a vero aberrasse monuerunt. Neque est enim, quod Buttmannus volebat, ex loco allato colligendum, neque omnino credibile eundem poetam eandem insulam modo propinquam Lemno finxisse, (id quod liquet ex versu Lemniarum supra posito,) modo remotam a Lemno; ut iam satis appareat Sophoclem in tragoedia Philoctete pervulgatam maxime famam vel opinionem secutum esse, qua Chryse insula vicina Lemno ac dea Chryse haberetur Minerva.

# ANNOTATIONES.

1) Eiusdem exempla significationis collegerunt Berkel. ad Steph. in v. *Νῆσος*, Huschk. in Matthiaei Miscellan. philolog. Vol. I. P. I. p. 24. et Wunderlich. Observatt. critt. in Aeschylum p. 191. Ortus hic usus inde mihi videtur, quod in insulis Graecis urbes insulis cognomines esse solebant. Qua quidem re ductus in errorem Galenus putavit quondam, *ὡς Σάμον καὶ Χίον καὶ Κῶ Ἄνδρον τε καὶ Τῆνον καὶ πάσας τὰς κατὰ τὸ Αἰγαῖον, οὕτω καὶ τὴν Λῆμνον ὁμώνομον ἔχειν πόλιν ὅλῃ τῇ νήσῳ μίαν*: De simpl. medicamentt. temperam. ac facult. IX, 1, 2. (Tom. XII. p. 172. Opp. ed. Kühn.)

2) An Suidas quoque habuerit cognitum fuisse, qui Philoctetem in Chryse, insula scilicet Neae propinqua, ab angue morsum affirmarent? *Νέαι*, inquit, *νῆσος πλησίον Λήμνου. παρὰ τὸ νέω, τὸ κολυμβῶ, ἣ προσενήξατό φασιν Ἡρακλῆς. περὶ ἣν κατά τινας Φιλοκτήτης ἐδήχθη ὑπὸ ὕδρου.* Quum enim Chrysen ignoraret, insulam illam iam pridem a mari absorptam, consulto videtur dixisse ambigue *περὶ ἥν*. Sed omisit hanc glossam cum Codd. A. V. Gaisfordius.

3) Quatuor insulis nomen *Hiera* erat, impositum iis, ut arbitror, ex origine, quia istae omnes e mari

videntur editae esse, et unaquaeque res mirificae cuiusdam originis deo aliquo, tanquam ipsius auctori, haberetur sacra: quarum notissima, quae insularum Liparaearum est, Vulcani officina, unde hodieque *Volcano* nuncupatur (conf. de ea Schol. Apollon. Rhod. ad IV, 761., Kuhn. ad Pausan. X, 11. p. 824., Gesner. Thes. L. L., Zimmermanni Diar. antiquit. stud. a. 1835. Fasc. XI. nr. 138. col. 1110.); altera Hiera est una ex Aegatibus, cui nostra aetate *Maretimo* nomen (cf. Cluver. Sicil. antiq. II, 15. p. 418.); alia rursus a Lemno inde meridiem versus iacet, nunc dicta *Agio - Strati* (cf. Müller. Orchom. p. 300. atque infra annot. 13.); postremo quarta Hiera inter insulas Theram et Therasiam sita nostris temporibus *Cammeni* appellatur (secundum Choiseulum Tom. I. p. 24.), eadem illa, quam intelligit Pausanias l. c. Ceterum de ingenti terrae concussu, in quo Hiera ista ex profundo emersit pereunte Chryse, legas etiam Iustinum XXX, 4.

4) Tom. I. p. 23. Cf. Scalig. Animadvv. in Chron. Euseb. p. 139.

5) De simpl. medic. temperam. ac facult. IX, 1, 2. (Tom. XII. p. 173. Opp. ed. Kühn.)

6) W. Uhden. in Actis histor. philolog. Academiae litterar. Boruss. aa. 1804—1811. p. 66. Insulae istae in Lemni vicinia eodem terrae motu editae possunt videri, quo mons Lemnius, cuius craterem exustum Galenus et alii memorant, ignivomus esse desierat.

7) Quoties culpam hanc commiserint geographi, ut, quam alius esse insulam dixerit, alius promontorium appellet, magnus Casaubonus docet ad Strab. III. p. 138.

8) Cf. A. Heringae, medici eruditissimi, Observatt. critt. c. XXVII. p. 235.

9) Quominus credas Dosiadam putavisse altaria Chryses numinis in Chryse, quae eadem una Nearum est, exstructa, prohibet quod addit *σχεδόθεν Μυρίνης* aram ab Iasone positam esse: nam Chryse insula prope Hephaestiam, nec prope Myrinam iacebat.

10) De ea ipse Hesychius paullo post agit in v. *Νεαιρήισιν*.

11) Gibbon. Hist. imper. Rom. P. VII. p. 349. annot. 49. vers. German.

12) Alteram fabellam similiter natam notavit pater meus ad Iuvenal. III, 118., ubi loquitur de Tarso. Plinius H. N. V, 1. s. 1. p. 306. *portentosa Graeciae mendacia.* Iuvenal. X, 174. *Graecia mendax.* Schol. ad XIV, 243.

13) Agio-Strati est auctore Uhdeno l. c. p. 69. *Hiera* veterum Graecorum; ac sane ita res se habere videtur. De Hiera cf. annot. 3.

14) Choiseul-Gouffier. Tom. I. p. 19.

15) Cf. supra p. 9.

16) P. 5. et 9.

17) Summarium hoc non istius esse tragoediae, sed alterius cognominis sive Aeschyli seu Euripidis putabat. Ios. Scaliger, referente Valckenaerio Diatrib. c. IX. p. 89. Rectius opinor, Hermannus in Praefatione edit. Philoctet. secund. p. 26. a Triclinio argumentum istud factum censet.

18) *Minéralogie Homérique. Sec. édit. A Paris,* 1816. 8.

19) Valcken. ad Herodot. VI, 46.

20) Aptius hanc in rem exemplum comparari non posset, si vera esset Histiaeae explicatio τῆς χρυσέης Ἀφροδίτης ab Eustathio ad Il. γ, 64. prolata, πεδίον εἶναι χρυσοῦν καλούμενον, ἐν ᾧ χρυσῆς Ἀφροδίτης ἱερὸν καὶ τιμή.

21) Vetustissimum hoc numen esse ex ipsa forma totoque omnino habitu Chryses apprime singulari in picturis vasculorum supra memoratis liquet, perpaucis nonnisi dearum simulacris proprio. Cf. Millingen. p. 78. et infra annot. 25.

22) Raoul-Rochett. Historia critica coloniarum a Graecis conditarum Tom. I. p. 427.

23) Conf. de Sintibus Gatterer. de Herodoti ac Thucydidis Thracia in Commentatt. Societ. Scient. Gotting. T. VI. p. 53. sqq., Heyn. Obss. in Hom. Il. α, 594., Müller. Orchom. p. 300. sq., Wachsmuth. de Graec. antiquitat. notitia Vol. I. P. I. p. 309.

24) Cf. Io. Fr. Meyeri animadversionem in Heerenii Biblioth. litt. et art. antiq. P. X. p 9. sqq.

25) Similibus coronis, dentibus tanquam radiis distinctis, deorum heroumque capita in monumentis antiquissimis non raro ornata. Cf. Winckelmanni Opp. Vol. III. p. 157. 208. ed. Dresd.

26) Simillima vultus torvitas in oculis Busiridis Herculem immolaturi expressa tab. XXVIII. Milling. Pictur. vasc. Graec.; cuius notitiam loci Welckeri V. Cl. amicitiae debeo.

27) *Von den Menschenopfern der Alten. A. d. Engl. Göttingen und Gotha,* 1774. 8. p. 8. sq. Cf. Wolfii Miscellan. litterar. p. 270. sqq., Wachsmuth. de Graec.

antiquitat. notitia Vol. II. P. II. p. 224. sqq.; pater ad Iuvenal. VIII, 254.

28) Cf. C. Ritteri Geographia P. II. p. 912.

29) Raoul - Rochett. Hist. colon. Graec. Tom. II. p. 200. sq. Tom. III. p. 49. Müller. Orchom. p. 301. sqq.

30) Gibbon. Hist. imper. Rom. P. X. p. 65. annot. 68., Raoul-Rochett. Hist. colon. Graec. Tom. II. p. 196. sq., pater ad Iuvenal. VI, 153.

31) Millin. Mineralog. Homer. p. 95. sqq.

32) In tutela Minervae etiam lapicidinas Pentelici in iisque Minervae statuam positam fuisse ex Pausania M. W. Heffterus de diis Rhodiis (*Die Götterdienste auf Rhodus*) II. p. 129. ostendit.

33) Simile est exemplum Pareae, quam nympham fuisse Apollodorus III, 1, 2. scribit, Pausanias autem III, 20, 8. *Ἀθηνᾶν Παρείαν* apud Lacedaemonios cultam esse. — Ceterum vetustissimus iste *Χρύσης Ἀθηνᾶς* cultus probe distinguendus est a cultu Minervae Graecae a Minyis Argonautis Lemnum allato. Cf. Müller. Orchom. p. 301., Winckelmanni Opp. Vol. V. p. 573. sq. Vol. VI. P. II. p. 70.

34) Raoul - Rochett. Hist. colon. Graec. Tom. I. p. 426. sqq. Tom. III. p. 435. sq.

35) Salmas. ad alteram Aram Dosiad. p. 147., Valcken. Diatr. c. XII. p. 132., Uhden. l. c. p. 68.

36) Heyn. Obss. ad Apollod. II, 4, 11. §. 5. et quos laudat Bothius ad Sophocl. Trach. 971.

37) Olear. ad Philostr. Her. V, 1., Lobeck. Aglaoph. Tom. I. p. 260. annot., Wunder. ad Soph. Philoct. p. 15., Urlichs. Dissertat. de Achaeo Eretriensi p. 34.

38) De causis, quae Graecos permoverint, ut Philoctetem exponerent in Lemno, Sommerus in Zimmerm. Diurnis scholasticis a. 1832. P. II. nr. 135. col. 1088. disputavit ita, ut quod addi possit non habeam.

39) Soph. Philoct. 191—200. 1326. Hermann. ad 194. Nec fugerunt hi loci Sophoclis eius viri diligentiam, cuius obitum praematurum aeque Musae quam Asclepiadae lugent, Frid. Dietzii, Professoris olim Regimontani, qui scilicet de vana superstitione ista veteris Graeciae ut vulgi omnis temporis animos obtinente, divinitus hominibus et immitti et depelli morbos, ad Hippocrat. de Morbo sacro p. 111. sqq. egregie commentatus est. Cornel. Celsus de Medicina I. Praefat. princ. *Eodem* (sc. Homero) *quoque auctore disci potest morbos tum ad iram deorum immortalium relatos esse et ab iisdem opem posci solitam.*

IMPRESSIT CAROLUS GEORGI.

[redacted]